Dissertationem inauguralem de aquae frigidae potu utili et nocivo in febribus ardentibus / ... Subjicit Jo. Jacob. Schlierbach.

Contributors

Schlierbach, Johann Jacob
Verdries, Johann Melchior, 1679-1735
Justus Liebig-Universität Giessen

Publication/Creation

Gissae : Typis vid. Joh. Reinh. Vulpii, [1723]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/z6kevysj

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DE

AQVAE FRIGIDAE POTV

VTILI ET NOCIVO IN FEBRIBVS ARDENTIBVS,

A. D. G.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. LVD. IO. WILH. GRVNONE,

HASSIÆ LANDGRAVIO, CETERA.
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI ET GRATIOSI
MEDICORVM ORDINIS,
PRÆSIDE

DN. IO. MELCHIOR. VERDRIES,

MEDIC. DOCTORE EIVSDEMQVE ET PHILOS. NATVR. PP. ORDIN.
FACVLTATIS MEDIC. HODIE DECANO,
PRO GRADV DOCTORIS,
PVBLICO ET SOLEMNI
MAGNIF. ET EXCELLENTISS. ACADEM. PROCERVM
EXAMINI SUBIICIT

IO. IACOB. SCHLIERBACH,
DODENAVIA - HASSVS,
A. ET R.

AD DIEM IVNII cIↃ IↃcc XXIII.

GISSAE,
TYPIS VID. IOH. REINH. VVLPII, ACAD. TYPOGR.

DEO
ET
PATRIAE.

DE AQVAE FRIGIDAE POTV IN FEBRIBVS ARDENTIBVS.

PROOEMIVM.

QVo foecunda magis & maxime omnium mortalibus infensa ac perniciosa est febrium cohors, omnis conditionis, sexus, aetatis homines inuadens, & quo magis proin Medicis enitendum est, vt veram his morbis obuiam eundi viam inueniant, inuentamque, cum quoad theoriam, tum quoad medendi usum, præceptis saluberrimis, remotis ambiguitatibus, firment atque communiant: tantis tamen difficultatibus involuta est haec doctrina, tantis dissidiis agitata, tot accumulatis sententiis distracta, ut opinionum diuersitate obruti, dubii magisque quam incerti dimittantur discentes. Eaque sine dubio causa fuit, quamobrem clar. *Ramazzini, in peculiari oratione*, febrium omnium

theoriam & praxin inter desiderata medica referenda esse arbitratus fuerit; quo iure vel iniuria iam non disputabimus. Illud interea apud artis genuinae peritos manifestum est, non remediorum farragine & cumulo, sed prudenti directione Medici, paucis & simplicissimis adhibitis, optime curari febres: & celeberr. *Stahlius*, ad experientiam prouocans, iamdudum omnibus ad animum reuocavit: febrem morbum esse, *frequentem, vehementem, breuem, ordine tamen certo progredientem & propemodum magis salubris euentus si nulla, quam si vulgari arte, vulgariumque remediorum intempestiuo vsu interpelletur.* De Febribus ardentibus experientia virorum vsu medendi celeberrimorum exploratum habemus, easdem, si conveniens regimen accesserit, solius fere aquae simplicis frigidae vsu percuratas fuisse. Quamobrem cum, speciminis inauguralis loco, aliquid ad medendi vsum & praxin cumprimis spectans proponere iure quasi tenear, hinc si de *Aquae frigidae vsibus & nocumentis in febribus ardentibus*, thema multiplici vtilitatis fructu fœcundum, breui dissertatione delinearem & pertractarem, operae me pretium facturum existimaui: idque eo magis, cum magno *Hippocrate* monente; aquae plurimam partem conferant ad sanitatem, aquarumque facultas Medico probe tenenda, & quae mala ab aqua fiant, & quæ bona ab ea proveniant, scire debeat Medicus. *L. d. aëre, aquis & loc.* & ex *Galeni* sententia, aqua communissima omnibus hominibus sit, tum sanis tum ægris & ad vitam maxime necessaria *de simpl. Facult.* Faxit DEVS vt conatus cedat feliciter.

I. Quid

I.

QVid ſit *Aqua*? & quaenam ſit eſſentialis ipſius conſtitutio? ex Phyſicorum ſcriptis hic repetere nolo, quin potius breuitatis ſtudio Lectorem eo remitto: Proprietates tamen ipſius, ſpeciatim in relatione ad corpus humanum viuens, praetereundae non ſunt. Scilicet aqua non ſolum omnium humorum corporis omniumque humectantium ſitique oppoſitorum baſis eſt, ſed & vim habet humectandi, lubricandi, emolliendi, liquefaciendi, diſſoluendi, diluendi, refrigerandi, eluendi: ita vt in corpus & ſanguinem delata humores fluxiles reddat, ſanguinis fluiditatem conſeruet, lympham ad concretionem proniorem tenaciores-que, partium implicatione, moleculas a cohæſione arceat, ebullitionem nimiamque expanſionem compeſcat; conſiſtentiam ac craſin, nec non motum, cum inteſtinum tum progreſſiuum, tueatur, moleculas heterogeneas ſolvat ac diluat, vt ſubigi facilius queant; ſecretiones viſcerum promoueat, tubulis ſeruatis apertis; cum urina ſalium terræque peccantes partes eluat atque eliminet; tranſpirationis negotium motumque humorum per vaſa minima, glandularum inprimis reptatus, foueat, atque ita ad mutuum partium ſolidarum & fluidarum aequalitatem & conſeruandam & inſtaurandam multum contribuat.

II.

De *frigore aquae* ſimul obſeruo (1.) intelligere me hic frigus non excedens & nimium, vtpote quod toti corpori omnibusque partibus nociuum, partes internae ſecundum *Hippocratem, de liquid. vſu.*, reſpuunt,

quod conuulsiones, tensiones, nigrores, rigores febriles parit *Aph.* 17. *l.V.* & a quo, ex mente *Galeni, meth. med. L.7. c.6.* omnia aquae nocumenta pendent; sed moderatum & mediocre, quod secundum *Hippocr.* extra noxam est: *de liquid. vsu.* (2.) Actu frigidam in relatione ad corpus humanum, tum solidi, tum fluidi respectu, in corpus agere, solida contrahere, firmare, fluida vero quodammodo densare, calorem exsuperantem, debilitantem, dissipantem & depascentem compescere atque ita sanguinis potissimum crasin conseruare, corruptelam in putredinem tandem desinentem arcere, eoque ipso hominem a grauissimorum morborum insultibus tueri, naturae, fibris & visceribus robur, actionibus vigorem addere: quod inprimis illustrat *Pisanelli, Medici Bononiensis* obseruatio, *de Aliment. Facult. p.* 296. vbi, Siculos, inquit, memorant, ante introductum „niuis vsum, cum in aëre degant feruentissimo, ac te„pidissimis vtantur aquis, quotannis aestiuis mensibus „maximo numero febrium pestilentuim tyrannide e „medio sublatos; quod malum ferocire desiit, ex quo „primum niuis vsum in potu admisere, annis circi„ter abhinc 20. Diligenti namque obseruatione explo„ratum est, in vrbe Messana quotannis mille numero „pauciores, quam ante vsum niuis, homines interire; „quo fit, vt vel e fæce plebis pauperrimus quisque o„pifex, in annona procuranda, non panem modo & „vinum sed & niuem numeret.„ Sic, in nostris quoque regionibus, pauperes aqua contentos vel hoc pacto facilius ferre inflammationes, febres ardentes, variolas &c. existimat celeb. *Rivinus, de Medicin. in Aliment.*

liment. optima c.1. §.23. Nec sine ratione praecauendae pestis antidotum aquam esse, atque huius praecauendae causa, matutinis horis, tum & pomeridianis, plures aquae calices siccasse, & quidem frigidæ, si pectoris potissimum habitudo ferat, vtpote firmando solidarum tono idoneae magis, ex *Thes. Steph. Francisc. Geoffroy, Parisiis* non ita diu ventilatis: *An aqua saeuiente peste prophylacticum eximium?* contendit clariss. *Hecquetus, in Nou. Conspect. Medicinae, Appendic. de Peste p.* 41.

III.

Praeterea obseruandum duco: potum frigidum insignem voluptatem afferre, ita vt instinctu quasi naturae frigidam exposcere sitisque molestias propellere videamur. Vbi non possumus satis admirari & venerari diuinam summi rerum conditoris prouidentiam, qui necessitati non solum sed & honestae voluptati nostrae hic consuluit atque necessitatem & gratiam, remedium & delicias, verbis Excell. *Bæcleri, de Potu frigido*, coire iussit, vt ad necessarii vsum nos inuitaret. Atque ipsa hac voluptate, gratoque quem frigus inducit, sensu, dum & molestia & causae molestiam inferentes extinguuntur & removentur, reficitur homo ac refocillatur, excitatur ac corroboratur natura, tonus partium ac vigor, excitata eo sensu anima, aut inuitato simul ad viuidiorem influxum fluido nerueo, instauratur, ut elatere corporis insurgente, vis naturae medicatrix exsuscitetur, qua praui corruptique humores, & quicquid est causarum morbificarum, praeparantur, subiguntur & tandem extra pomoeria corporis abiguntur & propulsantur.

IV.

IV.

De *Febris* natura tum veterum tum recentiorum controversias fusius hic exponere instituti ratio non permittit. Causas tamen perquirere e re fuerit; nam, secundum *Galenum*, nisi quis meminerit qua causa febres generentur, is nunquam febri methodo prospiciet *Meth. Med. L. VIII. C. I.* Si experientiam consulamus, illud satis exploratum perspectumque habemus, omne id quod genus neruorum nec non vniuersi corporis membranas & cutim spasmodice contrahere valet, febri etiam inducendae idoneum esse, febresque accendi: vel ab iis rebus quae neruos exstimulant, vti sunt inflammationes, dolores &c. vel ab iis quae corpus grauant, premunt, transpirationem prohibent molestumque toti corpori sensum inducunt, vt cruditates seri viscidioris &c. vel ab acribus & corrosiuis, plus minus venenosis; vel ab iis quae corpus & animam nimium quantum & iusto vehementius exagitant, vel ab iis quae humores eorumque motus valde immutant, vti sunt fames & euacuationes saepe nimiae. Vt proinde febres fint affectus neruorum, qui in horum concitationibus, oscillationibus, ac constrictionibus praeter naturam, & inde oriundo cordis impulsu velociori, ac simul aliorum musculorum succussu, auctaque adstrictione tonica & orta inde maiori resistentia in vasis minimis consistunt, prout Cl. DN. Praeses illud fusius exposuit *de Aequil. ment. & corp.* 85. *sqq.* & prolixe deduxit ac declaravit, venerandus senex, Academiae Halensis eximium decus, Vir Excellentissimus, *Fridericus Hoffmannus*, Patronus atque Praeceptor meus omni honoris

noris cultu nunquam non prosequendus, Differtat. *de Generat. Febrium*, vbi ostendit ac ratione & experientia confirmat, febrilem illum auctum sanguinis & humorum circulum semper cum spastica adstrictione fibrarum corporis fieri: neque in febribus tantum intermittentibus id ipsum obtinere, sed & in continuis spasmis continuo genus neruosum affligi, ibique spasmos per plures dies, licet cum quadam remissione continuare, neque prius desinere, nisi sub declinatione, causa morbi penitus subacta & expugnata, vbi cutis & emunctoriorum tono relaxato, excretiones quae morbum solutum denunciant, & criticae appellari solent, promte fiant. Vnde veteres, & inter illos *Hippocrates* & *Galenus*, rectissime, nunquam fieri febrem sine rigore praecedente, qui spasmi species est, existimarunt.

V.

His igitur, & cordis velocius ac crebrius impellentis, ac neruorum neruosarumque membranarum resistentium & repellentium, sibi quasi obluctantibus motibus efficitur, vt sanguis qui sedatiore cordis motu circumactus calore naturali partes perfundit, illa crebriore cordis & neruorum oscillantium agitatione per vasa compulsus, incitatiore attritu solutioneque particularum, feruorem aestumque insignem concipiat, turbaeque in massa ista tot heterogeneis constante particulis non leues excitentur; dum & ordo partium ac elementorum, mistura & crasis sanguinis naturalis pervertitur, vt secedentibus partibus mobilioribus, aqueis, gelatinosae & crassiores facile coëant ac in lentorem plus

minus fibrasque concrescant; eiectae autem extra mixtionis ordinem, & circumuolitantes, quae antea interiectae, totam intus globulorum sanguinis molem placide agitabant, mobiliores igneae atque elasticae particulae, ac in lentorem arietantes irruentesque, assidua concussione, eiusmodi motum peruersum, quo circulus vitalis grauissime turbatur, in vniuersa sanguinis massa producant: quemadmodum eleganter, pro more, hoc ipsum explicat Excell. *Bergerus de Febr. Malign.*

VI.

Ad lentorem inprimis concipiendum pronum esse sanguinem in febribus ardentibus, vel ex ipso sanguine per V. S. emisso in pleriquis euidenter apparet, vbi serum coagulatum in conspectum venit. Praeterea ex obseruationibus Anatomicorum compertum habemus, in iis, vbi aucta febris vehementia ad malignitatem res deducta fuit, post mortem sanguinem instar medullae sambucinae concretum apparuisse, vid. *Riolanus Enchir. Anat. L. II. C.* 28. Sic *Volcherus Coitier* in tali febre defuncta ex ventriculis cordis & sinibus meningum extraxit filamenta crassa, lumbricis haud dissimilia, ex pituita alba constantia *Obs. Anat. & Chir. p.* 110. Quo faciunt etiam obseruationes *Thom. Corn. Consentini, Progymn. p.* 168. *Mart. Rulandi, de Lue Hungar. Sim. Pauli Digress. de Febr. malign. Marcell. Malpighii. de Polypo.* Scilicet in illa turbati sanguinis confusione turbata naturali crasi, elementa non amplius, prout in statu naturali fieri solet, se complectuntur, quin fluidiora secedunt, spissiora concrescunt, vt tandem corpus calore fere

fere exsiccetur, vnde *Hippocrates*: quicunque, inquit, „ ex febre ardente moriuntur, prae siccitate moriuntur. „ Et resiccantur primum quidem extremae ipsorum „ partes, manus ac pedes, deinde partes sicciores. Vbi „ autem humiditas ex corpore penitus fuerit exusta ac „ resiccata, sanguis quidem congelatur penitus, ac perfri- „ geratur, *L. I. de Morb.* VII.

Adhaec obseruamus: quod, si vllibi illud *Hippocratis*: *Naturae morborum Medici*: in Medicina locum inveniat, in febrium decursu inprimis id ipsum attendi mereatur: cum apud intelligentes satis euidens sit, febres esse morbos certo ordine progredientes atque, si vires constiterint & natura fuerit robusta, nec vis morbi vehementior, salutaris propemodum euentus, cum aestus pulsusque febrilis & qui hos consequuntur motus ac symptomata, quibuscum aeger in statu febris conflictatur, ab ipso naturae, a causa morbi incitatae, hoc est habitus corporis ab influxu fluidorum vitalium animati, velocius & extra ordinem agitati, & sic cordis, sanguinis, arteriarumque motu concitatiore proficiscantur, atque dum, mutuo turgescentium molecularum attritu, inaequalia ramenta subiguntur, diuiduntur, solvuntur & ad congrua subcernicula identidem deferuntur, iisdem naturae viribus, causa quae naturam turbauerat eidemque vim intulerat exprimatur, propellatur profligetur. Vnde manifestum est, Medico, quem Naturae imitatoris, ministri, prudentisque adiutoris officium explere decet, id negotii datum esse, vt naturae non refragetur neque hos motus quatenus ad salutarem scopum directi sunt & intra iustam

menſuram ac limites ſuos continentur ac decurrunt, cohibeat, ſed potius eosdem, vbi deficiunt, promoueat, & impedimenta remouendo facilitet, perturbatos nimium moderetur, & tumultuantes plus iuſto refraenet. Vbi, ex ſententia prudentum in arte virorum, conducibilius eſt, morbum tempori & naturae curandum relinquere, quam nouos in corpore motus ac turbas excitare, aut, quod optimum lòngeque conſultiſſimum eſt, remediis ſimplicibus, blandis, naturae amicis ac conſuetis eidem ſuppetias ferre, eandemque erigere, vim morbi compeſcere, cauſas infringere & eliminare. Tale vero remedium ſi perquiramus, vix nobilius ac praeſtabilius, ipſique naturae humanae magis conueniens, morboque & cauſis adaequatum inuenire licebit, limpidiſſimo ſimplicis aquae humore. Atque hoc ipſum eſt quod experientia & ratione iam vberius paulo mihi erit demonſtrandum atque illuſtrandum.

VIII.

Saluberrimum eſſe Aquae liquorem, diuino munere nobis conceſſum, ex eo inprimis apertum eſt, quod ad vitae neceſſitatem diuina prouidentia deſtinatus commodum, innoxium, naturae inprimis accommodatum; alimentorum, quibus vita producitur, vehiculum, ac neceſſarium fluidis vitalibus diluendis, caloriq; temperando, & rigando ſalubriter totius corporis habitui, humorem, reſtinguendaeque ſiti gratiſſimum rorem praebet. Vnde non tantum naturalis & neceſſarius ſitientibus, cum hominibus tum animalibus potus eſt, ſed etiam dum, in prima illa ac innocenti aetate, cui fecerunt aurea nomen, hominibus praeſertim placuit, atq;

ſanitatem

ſanitarem diu illibatam, & vitam longaeuam, qua fruiti ſunt priſcis temporibus, procurauit, quod grauiſſimis Auctoribus perſuaſum eſt, vtilitatem ſui abunde comprobauit. Neq; inuita veritate Aurelius Imperator apud *Gueuarram*, *in Horol. Princip. L. II. C. XXIX.* ſi aetas, inquit, iam eſſet aurea: quando quid vinum eſſet homines ignorabant & aquam cuncti bibebant: terra iſta noſtra hac longe melior eſſet. conf. *Claud. Deodat. in Panth. Hygiaſt. L. II. C. XIV.* Illud certum eſt, aquam eſſe vniuerſale conſeruationis noſtrae praeſidium, nec deſunt noſtris temporibus exempla plurium longaeuorum, qui longaeuitatis ſuae cauſam potui aquarum ſimplicium in acceptis tulerunt; idque non gratis aut temere, cum, iudice Exc. *Meibomio*, bonum corporis habitum conſeruet aqua, & dum acres ſalinasque particulas e ſanguine eluit, illumque dulciorem reddit, εὐεξίαν procuret, corpusque a macie, ſiccitate, quae ſenium inprimis promouet; (ſeneſcere enim, ſecundum Philoſophum *Lib. de iuuent. & ſenectut.* nihil eſt aliud quam ſicceſſere, conf. Excell. *Bergerus*, *Diſſert. de vita & morte*) & ſqualore praeſeruet. Adhaec, aquae potores edaces ſunt, teſte *Hippocrate*, *Galeno* experientia. Nec ratio fugit cultiſſimum doctiſſimumque Gallum, Clar. *Hecquetum* quando, feliciorem nusquam aut ſalubriorem ci-„ borum coctionem fore, exiſtimat, quam eam, quam„ fecerit aqua: haec enim, inquit, vinorum aucta ſa-„ poribus, vitae minus quam morbi ſtimulos addet, tot„ veluti ſpiculis armata, quae ſolidorum mordendo fi-„ bras & oſcillationes turbando, fluidorum curſus &„

„circulationes miſcent, harumque molles directiones „in impetus mutando, animalis oeconomiae ordina„tionem vertunt & leges, cum ſimplex aqua genuinas „potoriae rei conditiones habeat, ſaporisque, odoris, „coloris expers indifferens ſit, amica nullius, ne alicu„ius eſſet inimica, fluxilis, mobilis, menſtrui vniuer„ſalis vices agens, non tantum quod nulli non rei ſol„vendae par fuerit, ſed & vehendae per omnes vaſo„rum receſſus, flexus, diametros & capacitates; cum „proinde nihilum habuiſſet quo reſiſteret, proprium „illi nihil eſſe debuit praeter obſequium, *Nov. Conſpect. Medicinæ P. II. C. IV. p.* 271. *ſqq.* Atque eo ſine dubio reſpexit politiſſimae eruditionis, vir Excell. *Bergerus*, quando in longaeuitatis antediluuianae cauſas inquirens a ſalis & fermentatorum, ſpeciatim vini, vſu illis temporibus incognito easdem deriuauit, horumque poſt diluuium introductum vſum breuitatis vitae cauſam eſſe multa eruditione & elegantia demonſtrare allaborauit. *Diſſert. de vita longa.*

IX.

Neque vero tantum in ſtatu ſanitatis, leuandæ ſitis & reſtinguendi aeſtus cauſa, aquam, & quidem frigidam, bibebant olim, ſed & quando iacturam quandam ſanitatis paterentur. Videas hinc paſſim eandem commendatam ab *Hippocrate de ration. vict. in acut.* in morbis acutis, *L. III. de morbis*, ad cauſum alianque febrem, *L. II. de morb.* in febre biliosa, *de morb. popular. L. V.* in doloribus ventris, & *Aſclepiadem* frigida in morbis data nomen ſibi acquiſiuiſſe, *Plinius* Auctor eſt. Nec id quidem immerito, nam iudice Excellentiſſ.

Friderico

Friderico Hoffmanno, si medicamentum in vniuersa,, rerum natura datur, quod universale salutari mere-,, tur, certe illud non aliud est quam aqua communis:,, nec veritate refragante scribit Exc. atque *Clar. Dn. D.,, Alberti*, Praeceptor atque Patronus meus omni venerationis cultu iugiter prosequendus: si vlla panacea,, simplex, secura, certa & probata desideratur, sane,, nulla melior occurrit quam aqua. *Praef. Dissert. de,, prudent. haemorrhoid. therap. per acidul. & therm.* Possem plurimas obseruationes virorum vsu medendi celeberrimorum hic adducere, vbi aquae potu grauissimi, inprimis spasmodici, morbi curati fuerunt, sed pagellarum angustia non permittit, vid. interea *Meibomius de Aqu. calid. potu* §. *XXV. XXVI. Riuinus de Agrest. vitae sanitat.* §. 28. Quoad febriles affectus speciatim, testatur quotidiana experientia, quod agrestes & plebeiae sortis homines febribus afflicti soliusque naturae instinctum secuti, abstinentia a cibis, atque largissimo aquae potu aestum retundant febresque profligent. Et certe si qua fides est monumentis antiquis, si quis experientiae & rationi recentiorum locus, potio aquae frigidae recte exhibita & tempore opportuno, indubitatum omnibus saeculis remedium fuit.

X.

Bina antiquitas praesidia nouit ad febres extinguendas efficacissima, sanguinis euacuationem copiosam & nonnunquam ad animi deliquium factam; atque aquae frigidae largum potum, vid. *Galenus IV. meth. med. c. V.*; hoc posterius rationales Medici febribus vehementer calidis conuenire voluerunt, quod ipsarum

ipſarum calorem & aeſtum debilitantem frigus extinguat, atque refrigeratione ſolidarum partium animalis natura excitata & roborata, putridos, quos credebant, humores, naturae iam motu attenuatos, vel per vomitum, vel per ventrem, vel per cutim expellat. *Galenus* complures ab ardentiſſimis febribus hoc remedio ſanatos vidit, &, maxime in ſtatu, aquam vel confertim exhiberi iuſſit & tanquam expertiſſimum remedium commendauit. Poſtea cum Graeci tum Arabes, in febribus vehementiſſimis, aquam ad ſaturitatem propinandam voluerunt, in corporibus robuſtis & aquae aſſuetis, nulla exiſtente in viſceribus vel phlegmone, aut imbecillitate, apparentibusque coctionis ſignis. Ita quoque *C. Celſus*, cum vero inquit, in ſum„mo incremento morbus eſt, non ante diem quar„tum, magna ſiti antecedente, frigida aqua copioſe „praeſtanda eſt, vt bibat etiam vltra ſatietatem, & „cum iam venter & praecordia vltra modum repleta, „ſatisque refrigerata ſunt, vomere debet. Quidam „ne vomitum quidem exigunt, ſed ipſa aqua frigida „tantum ad ſatietatem data, pro medicamento vtuntur. Requirit tamen ſubiectum vbi nihil prohibens vel in pulmone vel in faucibus, non vlcus, non defectio, non profluuium alui fuit. *C. L. 3. c. 9.* Hos, ſuffragante experientia, deinde ſecuti ſunt Medici experientiſſimi quamplurimi, vid. *Aetius L. V. C. 71. Zacut. Luſitan. de Med. Pr. L. IV. Hiſt. XI. Amat. Luſitan. Cent. IV. Cur. 14. Riuerius Inſtit. L. IV. c. 24. Foreſtus L. I. Obſ. XIII. ſchol. Schenkius Obſ. L. VI. Rolfincius ord. & method. Med. ſpecial. L. XIV. c. 25. Panarolus Pentecoſt. II. Obſ. 45. Langius in*

Epiſtol.

Epiſtol. Med. & *Smetius in Miſcellan.* qui in Italia quotidie, aeſtatis tempore, plurimos ardentibus febribus laborantes ex liberaliſſimo aquae frigidae potu a febre liberatos ſe vidiſſe, nec modo vidiſſe, ſed etiam auctorem nonnullis fuiſſe, vt ita facerent, optimo cum ſucceſſu, teſtatur. Atque hic quidem, cum apparet in vrinis coctio, & natura viciſſe aliquo modo morbi cauſam cernitur, non ad ſatietatem, ſed ad faſtidium, ad vomitum bibere iubet. Nouit Cl. Dn. *Praeſes* exemplum Viri admodum Reuerendi, adhuc, magno Eccleſiae bono, inter viuos agentis, qui, cum febre maligna grauiter decumbens, in ipſo morbi ſtatu, vbi ad extrema res peruenerat, ſex ad octo libras cereuiſiae ſecundariae, quae vix ſapore, colore & nomine ab aqua differt, ſucceſſiue, breui tamen temporis ſpatio, vrgente grauiſſima ſiti, hauſiſſet, paulo poſt, oborto vomitu, morbo feliciter liberatus fuit. Noui & ipſe caſum, vbi vir, febre catarrhali, ad malignitatem prona, laborans, cum iam ſub maxima anxietate praecordiorum ſuffocationem pertimeſceret, hauſtu frigidae copioſo feliciſſime & oppreſſionem pectoris & febrem abegit, relicta tuſſicula, quae conuenientibus reſoluentibus facile ceſſit. Ita quoque Excell. *Schelhammerus, de Genuina febr. curandi method.* methodum aqua frigida curandi febres ardentes exponit, laudat, commendat & obſeruationibus confirmat; quin ſine conſcientiae macula talia refrigerantia Medicos omittere non poſſe contendit: teſtaturque, ex ore viri ſummi, Medici conſummatiſſimi, *Henr. Meibomii,* de totius cuiusdam pagi incolis, qui Medico & remediis deſtituti, aqua frigida

aestum extinxerant, mox oppressum plane & quasi obrutum calorem, natiui reliquias, liquore ex vino destillato resocillantes, omnes restituti fuerunt: plane obseruantes, haut aliter ac si ipsi legissent, *Hippocratis, de loc. in hom.* praeceptum: Febrem refrigerante „medicamento exsoluito, ac vbi ex eo ad nauseam de„ueneris, calefacientibus deinceps vtitor.

XI.

Neque igitur immerito longa experientia edoctus, laudatus supra *Frider. Hoffmannus* aquam simplicem inter febrifuga refert, vbi & propriam experientiam & *Puluerini, Medici Neapolit.* praecepta adducit. *de Cura Auenac.* nec temere vsu medendi eminens *Wedelius* aquam, licet simplicissimam, summum vsum in febribus habere monet, quod potissimum serum deficiens substantifice restituat, serumque fluxile ac habile ad transpiratum & diaphoresin reddat. Ex qua ratione & celeberr. *Riuinus* aquam fontanam actu frigidam inter potiora febrium malignarum remedia commendat. *Diss. de Febr. malign.* §. 42.

XII.

Vidimus quid experientia doceat; cum vero non exemplis, sed regulis ratione suffultis sit iudicandum, dispiciendum nunc erit, quid ratio suadeat? In quantum illius dictamen hic conspiret? & quomodo ad circumspectum aquae vsum in his affectibus nobis facem praeferat? Obseruauimus supra: febres morbos esse adstrictos atque in continuis, ardentibus, spasmis continuo genus neruosum affligi, ita vt vasculis minimis & emunctoriis iusto strictioribus, motus humorum aequa-

quabilis ac liberior consuetaeque secretiones & excretiones turbentur. Aqua humectat, emollit, laxat, adstrictionemque nimiam aliquo modo soluit: praeterea causas spasmorum aggreditur easdemque diluit, infringit, eluit; vnde in affectibus arthriticis, podagra, affectibus conuulsiuis mulierum, passione hysterica, colica, eximium vsum saepissime praestitit, prout ex *Trincauellio*, *Bruyerino*, *Schenckio*, *Herm. van der Heiden* aliisque, non minus ac propria experientia ostendit cel. *Meibomius*, *de Aqu. cal. potu §. XXXV. sq.* conf. laudatissimus *Hoffmann. de Aqua medicin. vniuersali §. XXI.* quod si enim hic neruos solatur & blande resoluit atque motus secretiones & excretiones ordini suo restituit; cur non in febribus idem efficeret?

XIII.

Praeterea, in febribus, cordis & neruorum citatioribus, sibi quasi obluctantibus, motibus sanguis insignem feruorem aestumque concipit, mixturam naturalem amittit, elementis ad secessionem propendentibus, consumtoque nimio aestu sero fluidiore, spissior ac lentior redditur. Aqua frigida calorem restinguit, aestum compescit, serum ac lympham fluxilem restituit, mixturam ac crasin naturalem reddit & tuetur, inaequalia & minus contemperata ramenta, lentos viscidosque humores soluit, ab implicatione vlteriori & cohaesione arcet, atque vniuersam humorum massam ad liberiorem motum circulumue habiliorem reddit.

XIV.

Motus febriles, si caetera fuerint paria, vi dispositionis, ordinis, consensus partium se mutuo cienti-

um, vigore ipſius ſanguinis circuli ac harmonia vtriusque hominis ſubſtantiae, ſiue vt verbo me expediam, vi naturae medicatrice, ad ſalutarem finem directi ſunt, ita quidem, vt iis ipſis cauſae morbi & quicquid concentum partium, aequabilitatem motuum, atque ſic ipſam ſanitatem turbare, impedire & labefactare poteſt, ſubigatur, ſiue vt loqui amant coquatur, corrigatur & excernatur. Aqua, tanquam remedium blandum, temperatum, diluens certoque ſenſu diaphoreticum vid. *Wedelius de Aqueor. vſu & abuſu*, *p.* 22. refrigerans, iſtos motus egregie promouet, facilitat, ac intra iuſtam menſuram & limites ſui decurſus conſeruat; dum primo aeſtum nimium & rarefactionem ſanguinis, humorumque turgeſcentium impetum, quo vires naturae deiiciuntur, (quando ſanguine vltra modum expanſo neruoſum genus motuumque vitalium inſtrumenta impediuntur, opprimuntur,) reprimit. Deinde grato refrigerio & humiditate ſitientem non ſolum ventriculum recreat & reficit, ſed & totam naturam, penetranti frigoris ſtimulo, excitat, corroborat, vt fibris valide intenſis contra morbum efficacius inſurgat; quo ſenſu inprimis aqua & aquea diluentia inter cordialia frigida referuntur. *vid. Wedelius de Medic. Facult. L. I. S. III. C. V.* Tertio, dum materiam febrilem motibus atterendam & iam aliquo modo attritam vlterius exſoluit, diluit & ad excretionem habiliorem reddit, tranſpiratum aliasque ſecretiones & excretiones hic neceſſarias, totumque criticum naturae negotium egregie ac ſalubriter adiuuat.

XV. Cum

XV.

Cum igitur experientia & ratio, bina rationalis Medicinae fulcra & sciendi media, hic conspirent, nullum est dubium, quin ab hoc in sua simplicitate efficacissimo remedio haud leuem nobis promittere possimus operam. Posset tamen quis obmoliri: Primo non pauca saepe nec contemnenda incommoda potionem frigidam in his morbis subsecuta, & vitam saepe citius quam sitim iisdem extinctam fuisse, ipsumque *Galenum* diffiteri non potuisse, *de sympt. caus.* vidisse se febre ardente laborantem, cum in exacerbationibus morbi aquam gelidam liberalius biberet, semper tamen grauius ardentiusque sitiisse; imo siti enecatum fuisse: idemque Arionis Peripatetici exemplo manifestum esse, quod adducit *idem, Lib. de Consuet. c.* 1. qui, ad extinguendum aestum, iussus a Medicis vt frigidam potaret, cum alias potioni calidae assuetus esset, obiit illico post haustum. Nec deesse funesta exempla eorum, qui, cum in ardentibus, ex obstinatione aut falsa opinione, frigida eluendum esse sanguinem existimauerint, in magnas se & fatales saepe diarrhoeas praecipitarint. vid. *Pechlinus, de Purgant. C. XXXIII. p. m.* 267. Sic quoque ludimagistrum, apud *Fabrit. Hild. C. III. obs.* 48. cum febre ardente laboraret, & frig dam, quantum anhelitus sufferebat, ebiberet, eodem die discessisse. Quin, adeo nociuum hic esse frigus, vt mulier apud *Tulpium Obs. L. IV. C. XI.* ad restinguendum febris ardentis incendium os frigida saltem colluens atque, gratissimo hoc algore gauisa, paucis horis aliquot vrnas consumens in delirium prolapsa, contractis neruis, in-

terierit. Frigidam qualitatem interius susceptam humorum coctionem impedire, ipsos crassiores & crudiores reddere atque obstructa fouere. Deinde cum frigidum bellum indixerit neruis, cerebro dorsalique medullae, teste *Hippocrate Aphor. XVIII. S. V.* cum ex frigida dolores & auersationes eueniant, secundum *eundem, de liquid. vsu.* non posse aquam frigidam non nocere in febribus his, quae, ex supra dictis, sunt affectus neruorum cum spasmis continuis coniuncti.

XVI.

Sed facile respondere licet. Ad primum: ita comparatam esse rationem huius remedii, ac aliorum remediorum generosorum, quae apud imperitos sunt culter in manu furiosi. Artis esse nosse & discernere vsum & abusum. Verissime enim *Hippocrates: de Art.* Quae pro-
„fuerunt, inquit, ob rectum vsum profuerunt, quae
„vero nocuerunt, ob id, quod non recte vsurpata sunt,
„nocuerunt. Nam non minus ea, quae damno sunt,
„quam ea quae opem ferunt, testantur quod ars sit.
„Vbi enim rectum & non rectum, vtrumque suum
„habet finem, quomodo quis hoc artem esse ne-
„get? Et *Galenus*, cum nocumenta aquae frigidae exposuisset: Noui, me ista, inquit, enumerando, formi-
„dolosum te ad frigidam exhibendam reddere, vidisti
„me tamen saepe numero, in arte exercenda, suo
„tempore & vt oportebat, hoc vsum praesidio ae-
„gris semper absque vllo prorsus nocumento profuisse.

XVII.

Ad secundum non minus in procliui est respondere: frigidam non semper & vbique neruis esse inimicam,

micam, aut dolores producere; cum ſaepe grato & ſalutari refrigerio ſuo illos ſoletur, excitet, roboret iisdemque valde amica ſit: qui enim inter confortantia locum, quem tamen grauiſſimi Auctores eidem concedunt, inuenire poſſet, ſi neruis ſemper & abſolute bellum indiceret? Adhaec, iam ſub initium monuimus, nos per frigidam hic non intelligere gelidiſſimam, ſed quodam modo temperatam, ſatis tamen refrigeratam. Moderatus enim vſus hic iuuat. *Hippocrat. de liqu. vſu* conf. Excell. & Celeberr. *Valentini Med. Nou Antiqu. e font. Hippocr. P. VI. C. II.* §. 16. Quando enim gelida ad glacialem etiam & niualem rigorem deducta hic profuit, aut febris ardentiſſima ſola niue feliciter curata fuit, v. *Ephem. N. C. Germ. Dec. I. A. VI. Append. p.* 30. ſemper certae conditiones naturae, conſuetudinis, ſingularis auiditatis & appetitus, & ſimiles coniunctae fuerunt, quae vim exſuperantem remedii quodam modo infregerunt & nocumenta excedentis frigoris auerterunt. Neque haec exempla temere ſunt imitanda. Moderatum vero frigus adeo non perhorreſcit aut auerſatur natura, vt illud potius auidiſſime expetat, eoque recreetur & reficiatur. Neque, laedi abſolute naturam aut ventriculum frigore, putandum; cum experientia & ratio doceat, aquam frigidam magis eſſe conuenientem ventriculo quam calidam, niſi ſingulares circumſtantiae calidam expoſcant. Illa enim ſenſibili frigore fibras irritando ſtringit, denſat, intendit atque ventriculum confortat. Haec vero laxando fibras debilitat, tonumque ac virtutem eius ſoluit, vnde & calidam neruorum impotentiam & carnium effoeminationem,

tionem, torporemque mentis & animi deliquia producere affirmat *Hippocrates, de liqu. vsu.* Et vel soli acidularum potatores, qui potum frigidum, magna in copia, sine nocumento, quin potius magno naturae & ventriculi emolumento ingerunt, satis ostendunt, non nocere ventriculo frigus, si caetera fuerint paria. Multo minus coagulatio sanguinis metuenda a fluido diluente, dissoluente, sanguinemque ad motum cum intestinum tum circularem habiliorem reddente, in statu vitali, neruis & tono partium nondum penitus oppressis, quin valide potius ad conquassationem sanguinis insurgentibus & a frigoris stimulo vlterius incitatis.

XVIII.

Exhibenda igitur omnino aqua frigida in febribus ardentibus: sed prudenti consilio, &, ex *Galeni* praecepto, suo tempore & vt oportebat. Scilicet in omni ardore febrili, vti in sitibunda quauis intemperie, aquea humectantia & refrigerantia vtiliter & cum gratia opponuntur, & inter illa inprimis aqua communis, limpida, potabilis & pura, atque haec quidem frigida, sed pro cuiusuis aegri natura, constitutione & idiosyncrasia, ratione frigoris ad bonam tolerantiam ita moderata, vt coctionem non impediat & a ventriculo facile feratur. Et frigidus quidem hic potus in his morbis adeo est necessarius, vt non solum non negandus aut interdicendus sit, sed & persuadendi sint aegri, vt largius bibant, si, quod in malignis saepe accidit, id facere renuant: quamuis tamen pro ratione circumstantiarum caute hic mercandum sit, inprimis si, quod haud raro fieri in illis morbis solet, calor ingens non vrgeat.

XIX.

XIX.

Et exhiberi quidem poteſt aqua vel in ſua ſimplicitate, vel additis aliis refrigerantibus, acidis, incraſſantibus ſic dictis, aut potius rarefactionem & aeſtum reprimentibus, morbo & cauſis ipſius, prout res flagitauerit accommodatior reddita. Sic veteres Graeci, & inter illos inprimis *Hippocrates*, ptiſana ſua febres iugulare ſategerunt. Noſtris vero temporibus decoctum hordei, auenae decorticatae, Corn. Cerui cum rad. ſcorzonerae & pomo citri, iulepi item ſpiritibus acidis acuati vel ſuccis ceraſor. berberum, ribes. aut ſyrup. acetoſ. citri, corallior. ad gratiam additis, palato, & ſaepe etiam morbo magis accommodati, optimo conſilio & ſucceſſu in vſum vocantur. Sic & *Galenus*, vbi aquae nocumenta metuebat, eandem tantillo vini correctam exhibebat: Neque vllum eſt dubium quin in his potibus aquae potiores in medendo partes ſint.

§. XX.

In copia concedi poteſt aquae potus, ſi expetat aeger; ita tamen vt non ſubito & repente magnam aquae vim ingurgitet: quin paullatim & ſucceſſiue hic bibendum. Etenim quod paullatim fit, tutum eſt, tum alias, tum quando ab vno ad alterum fit tranſitus. *Hippocr. S. II. Aph.* 51. Neque frigore tam obruitur ventriculus, nec praecordia valde offenduntur, ſi lente, quam ſi confertim & ſubito frigida ingeratur.

XXI.

Aqua vero intenſius refrigerata non ſemper tuto exhiberi poteſt, & quamuis ipſius vſum effectus ſalu-

taris ſaepiſſime comprobauerit, ſunt tamen multae conditiones tum naturae aegri, tum ipſius morbi & morbi temporis, quae vſum ipſius pertimeſcendum efficiunt. Scilicet hoc remedii generoſi genus apud eos tantum locum habet, qui (1.) natura gaudent rebuſtiori, quorum ventriculus & viſcera bene conſtituta ſunt ac firmitate fibrarum & robore pollent. (2.) Et iis concedi poteſt qui temperamenti ſunt calidi, cholerici, ſanguinei, aut illorum multum participes, quorum ſanguis ad orgaſmum, aeſtum & ardorem concipiendum procliuior eſt. (3.) Qui in iuuenili, & conſiſtente aetate conſtituti ſunt, vbi natura in vigore eſt. (4.) Qui frigidae potioni inſueuerunt, vbi viſcera aſſueta frigidae occurſum facilius ferunt & tolerant. A multo enim tempore conſueta, etiamſi fuerunt deteriora, inſuetis minus turbare ſolent. *Hippocr. Sect. II. Aphor.* 50. (5.) Qui ſingulari appetitu & auiditate frigidam expetunt. Ita enim, ex ſententia experientiſſimorum Medicorum, non exiguum indicationi robur accedit. Voluptas enim & tolerandi facilitas pro cuiusque confeſſione ad ſalubritatem conſentire videntur. *Hippocr. de liqu. vſu.* (6.) Danda eſt vbi inſignis ardor, ariditas, & exſiccatio totius habitus aeque ac faucium cum linguae nigredine adeſt. (7.) Vbi ſignis coctionis iam apparentibus, febreque remiſſiore, diaphoreſis liberior inſtauratur. (8.) Si ex inebriaminibus & potuum ſpirituoſorum abuſu ſanguinem accenſum & inflammatum eſſe conſtiterit; vbi cauſae aeſtimatio, ſecundum *C. Celſum. L. I. Praef. p. m.* 19. morbum ſoluit, qui in exemplum adducit ingenioſiſſimum ſaeculi ſui

Me-

Medicum, Caſſium, qui febricitanti cuidam & magna ſiti affecto, cum poſt ebrietatem eum premi coepiſſe cognoſceret, aquam frigidam ingeſſit. Qua ille epota, cum vini vim miſcendo fregiſſet, protinus febrem ſomno & ſudore diſcuſſit.

XXII.

Quantum talis frigidae hic bibendum ſit? determinauit *Galenus*, nempe in copia & confertim vsque ad bibentis ſaturitatem, ſiue, vti 1. *de rat. vict. text.* 43. & *lib.* 9. *med.* clarius mentem explicuit, valida exiſtente febre & virtute, tantum vt liberet; quantum vna inſpiratione bibere poſſit aeger: & hoc tamen poſtquam ſigna coctionis manifeſta in venis apparuerint & febris eſt remiſſior, non alio tempore. *Smetius* liberaliſſimum frigidae potum eſſe iubet, cum apparet in vrinis coctio & natura viciſſe aliquo modo morbi cauſam cernitur. Nec ſuccedere rem dicit, niſi multam omnino bibant: tantam ſcilicet quae oneri & moleſtiae eſſe queat. Verum hoc non ſemper eſſe neceſſum, neque *Galenum* huius neceſſitatis meminiſſe, & experientiam eandem oppugnare, recte contendit doctiſſimus *Schelhammerus de genuin. febr. cur. meth. P. III. S. III. §. XXXVI.* Ego in copia quidem hic exhibendam frigidam, ſed non ſubito & confertim, quin potius ſucceſſiue, vt per longum temporis interuallum ſitim fallat; quantitatem vero vix determinari poſſe exiſtimo, eandemque prudentiae Medici pro ratione conditionum, tum aegri, tum morbi, inprimis pro ratione appetitus & auiditatis, vel extendendam vel reſtringendam relinquo.

XXIII.

Sed cum, vti antea monuimus, non vbique tutus sit in ardentibus gelidae vsus & ex praecepto *C. Celsi L. III.C.I.* ignorari nonoporteat, quod non omnibus aegris eadem auxilia conueniant; dispiciendum adhuc erit, in quibus subiectis, in qua morbi constitutione, & quo tempore, frigidior potus his in febribus nociuus sit. Scilicet, quod ex antea dictis iam inferre licet, nocet frigida iis quorum (1.) natura debilior, ventriculus aliquo modo languet, ac fibrarum tonus iusto remissior, viscerumque robur minus firmum ac valens est. (2.) Qui constitutionis sunt tenerioris ac sensibilioris, vbi leue quoddam stimulans magnas turbas & tumultus, tum in neruorum genere, tum in ipso sanguine iam agitato, ciere ac producere potest. (3.) Qui temperamenti sunt phlegmatici ac constitutionis in excessu, humidae, in quibus tonus partium est laxior, fibraeque motrices languidiores. Nocet etiam plerumque in temperamento melancholico. (4.) Nocet in puerili & senili aetate, nec minus (5.) in iis qui potui aquae non sunt assueti, vel qui potui calido per longum tempus ita sunt assuefacti, vt etiam in statu sanitatis vno saepe haustu frigido morbum sæpe & mortem combibant, aut (6.) quorum idiosyncrasia eandem respuit & auersatur.

XXIV.

Insigniter frigida nocet (7.) in malignis, vbi nec ardor nec sitis vrget. Nec (8.) in principio febrium vbi rigor externa fortius ac validius constringit, nec (9.) in progressu & incremento, vbi natura circa crisin occupata est, inprimis si vires ad criticum negotium absoluendum

ſoluendum adhuc conſtant, temere exhibenda. Motus enim criticos, irritata temere natura, facile turbat ac peruertit. Vnde (10.) etiam in febribus vbi natura cauſam morbi ſub exanthematum forma ad peripheriam pellit, petechialibus, purpura, variolis, morbillis eidem locus eſſe nequit. Quod enim *Th. Bartholinus, Hiſt. Anat. Cent. III. Obſ.* 89. de binis mulieribus Groenlandicis refert, quod variolis infectae, cum varia potus genera tam ad prouocandas variolas, quam ſedandum caloris aeſtum aliis proficua offerrentur, omnia recuſauerint, ne coctam quidem aquam admiſſurae, ſed ſignis datis frigidam ex fontibus auidiſſime expetierint, eaque conceſſa conualuerint: illud imitari aeque temerarium foret, ac ſi Aethiopum curam, quando variolis decumbentes, in febrili aeſtu, in profluentem demittunt: aut Indorum orientalium, qui variolis conſperſos, quando iam prodierunt variolae, aqua frigida lauant vid. *Ephem. Nat. Curioſ. Dec. I. A. VIII. Obſ.* 68. *& A. X. Obſ.* 194. noſtris in regionibus commendare, aut ad exemplum centurionis illius equeſtris apud *Lyſer. Obſeru. IV. Cultr. Anatom. ſubiect.*, aegros febre ardente correptos in aceruo graminis virentis aliquoties abſcondere ibique aliquamdiu repoſitis felicem curationis ſucceſſum promittere velimus.

XXV.

Porro nocet admodum gelida (11.) vbi profluuium alui vel anteceſſit, vel imminet, vel iam in actum erupit: ſic enim fibris frigoris ſenſu conſtrictis, in illa commotione humorum, ſuccis ad tubulos inteſtinales confertim confluentibus, facillime vel rheuma-

tiſmus periculoſus vel inflammatio lethalis oriri poſſet: (12.) vbi viſcerum inprimis nobiliorum inflammationes morbo coniunctae ſunt: quod & *Hippocrates* iam annotauit, *de vict. rat. in acut.* multo magis vero (13.) ſi inflammatio in abſceſſum & vlcus tranſierit. Vlceribus enim frigidum eſt acerbum & mordax. *Hippocr. S. V. Aphor. XX.* Sicuti (14.) nec iis prodeſſe poteſt qui obſtructiones, ſcirrhum, aut oedema in viſceribus, aut (15.) pectoris, eiusq; partium minus firmam diſpoſitionem habent, vel etiam, harum iam protrito robore, ad tabem & hecticam propendent. Nec iis (16.) qui, in morbi declinatione & remiſſione, natura & viribus valde delaſſatis, analepticis & roborantibus temperatis opus habent.

XXVI.

Tantum hic, ſpeciminis Academici Inauguralis loco, adduxiſſe iam ſufficiat: reliqua dexteritati prudentis Medici relinquuntur: qui pro ratione ſubiecti, morbi, conſuetudinis, climatis & regionis; (ſiquidem, differunt etiam pro locorum natura genera medicinae, ſecundum *C. Celſum L. I. Praef. p. 8.*) temporis, nec non morbi temporis, aliarumque tum aegri tum morbi conditionum, iudicare, & opportunitatem temporis & momenti aeſtimare nouerit: Sic enim vbi, quando & quomodo generoſo hoc remedio naturae ſuppetias ferre poſſit ac debeat; & qua ratione, ſi opus fuerit, illud aliis medicamentis ſuffulcire queat, haud difficulter perſpiciet. Neque enim, dum huius remedii vſum genuinum commendo, alia artis ſubſidia excluſa plane volo, quin venae ſectionem in tempore

recte

recte praemisisse veteres, & quidem largam, quamuis ad animi deliquium vsq; eandem institueudam esse affirmare nollem, existimo. Praeterea circumspectum temperatiorum, diaphoreticorum fixorum, sic dictorum praecipitantium, vel figentium, hoc est aestum & rarefactionem compescentium, incidentium, attenuantium, blandoque stimulo & adstrictione roborantium; nitri etiam similiumque concretorum salinorum: atque suo loco & tempore etiam volatiorum, praesertim salinorum, vsum ad felicem curam plurimum hic conferre posse persuasissimus sum.

COROLLARIA.

I.

Satius est & vtilius aqua inebriari, quam vino madere.

II.

Neque tamen vini rectus vsus ideo dissuadendus.

III.

Explosione digni sunt, qui vinum humanae vitae pestem, ex abusu, criminantur, & bene fecisse Lycurgum, *quod de vitibus exstirpandis edicta sanxerit, existimant.*

IV.

Aqua frigida hauriri mauult: & vnicus frigidae haustus plus refocillat, quam decem calidae.

V.

Indomitae Thee & Coffe ingurgitationes manifeste debilitant, vt satis causae habuerit Cl. Duncan, Gallus, *cur toti mundo id ad animum reuocaret. Tr.* Avis salutaire a tout le monde contre l'Abus des Choses chaudes &c.

VI. Est

VI.

Est tamen suus, vt frigidae, sic & calidae vsus.

VII.

Quibus nulla aqua satis frigida est, qui niues & glaciem potant poenasque montium in gulae voluptatem vertunt, plerumque, nisi firmissima natura & consuetudo remedii & quasi antidoti loco sit, sanitate facile, & saepe miserrime, excidunt aut mortem ipsam combibunt.

VIII.

Animo relictos stupentesque frigida spargere bono cum successu solemus. In conuulsionibus tamen idem tuto imitari non licet.

IX.

Capiti gratum est & necessarium calidum: nulli tamen caput nimis communire salutare est, nisi vel aetas vel aeris inclementia id postulet.

X.

Inter nulla vel pauca auxilia aduersae valetudinis plerumque tamen bona contigit priscae aetati, cum magna viuacitate, ob simplicem victum & bonos mores, quos neque desidia, neque luxuria vitiauerat. conf. C. Celsus in Praef.

XI.

Innumerabiles miraris morbos? coquos numera. Seneca.

XII.

Annus quo Moses *vsus fuit, in* Patriarcharum *aetate designanda, fuit Annus Aegyptiorum, solis reuolutione descriptus, duodecim mensibus, quorum quiuis triginta diebus circiter constitit, absolutus: adeoque nostro non multo breuior.*

TANTVM.